

CASUS XXIV. Lælius parentibus nobilibus ac opulentissimis procreatus peccat cum filia villici sui, quam se ducturum promittit, imo actu cum ea sponsalia contrahit, eaque juramento firmat. Verum prævidens postmodum inconvenientias ex hoc matrimonio nascituras, quærit ex Parocho suo, an non possit dissolvere sponsalia non obstantibus iis, quæ peracta sunt, ac etfi puella efficaciter urgeat brevi contrahendum matrimonium.

R. Lælius in casu proposito non solum potest, sed etiam debet abstinere ab hoc matrimonio; quia ejusmodi inconvenientiæ juxta opinionem communissimam sunt motivum plusquam sufficiens ad dissolvenda sponsalia, etiam juramento firmata. Alias auctoritates hanc corroborantes sententiam prætereundo, satis mihi est adducere Concilium Tridentinum *Sess. 24. de Reform. matr. cap. 1.*, quod declarat, Ecclesiam Dei ex justissimis causis semper detestatam fuisse ejusmodi matrimonia, eaque nunquam non prohibuisse. C. B.

NOTA. Tridentinum solum loquitur de matrimoniis clandestinis. Alia tamen ratio potest invalidare hæc sponsalia, nimirum quia contractus sub conditione turpi, vel qui sine præjudicio tertii, aut sine peccato impleri non possunt, sunt nulli.

CASUS XXV. Sempronius ad peccatum sollicitat foeminam, unice ad probandam ejus constantiam, & absque ulla intentione peccandi cum ea. An peccat?

R. Peccat mortaliter: ut enim sollicitatio ad actum sit illicita, sufficit, ipsum actum, ad quem quis ferio sollicitat, etiam sicte tantum, in se ipso malum esse. Hinc examinandum, utrum quis ipso opere possit licite exequi actum, ad quem sollicitat, nec ne: & ex hac regula dignoscendum, utrum sollicitatio sit licita, aut illicita. *Cajet. 2. 2. quæst. 78. art. 4. C. B.*

CASUS XXVI. Petronius sæpius levibus jocos & cavillationibus petit Cajum, & quidem præsentem; etfi sciat, eum exinde offendi, ac pudore suffundi. Num peccat mortaliter?

R. Peccat mortaliter, quoties ejusmodi jocos & cavillationes profert deliberate: licet enim sint leves in se ipsis, si tamen pudore suffundunt Cajum. ipsiusque tranquillitatem turbant, sufficiunt ad constituendum peccatum grave contra charitatem; ut docent communiter Doctores cum S. Thoma, dicentes, gravitatem vel levitatem jocosæ cavillationis non esse desumendam ex ipso joco aut cavillatione simpliciter spectata, sed ex effectu, ex iræore aut exacerbatione, quam

quam causant in eo, qui joci petitur. *Sporer, aliique. C. B.*

CASUS XXVII. Camillus certo scit, Clericum quemdam vitam ducere admodum dissolutam; licet ob modestiam externam & virtutes, quas simulat, vix non ubique habeatur pro viro pio. Camillus autem dicit modo huic, modo illi, Clericum hunc insignem esse hypocritam. Num peccat mortaliter?

R. Si Camillus id agit ex ratione legitima, animo nimirum instruendi eos, quibuscum loquitur, & præmuniendi contra contagionem pravi exempli, non solum non peccat; sed insuper exercet actum Charitatis, dummodo nunquam ex passione id dicat. Si vero tale motivum non habeat, peccat mortaliter, quoties tale quid profert contra hunc Clericum; quia, si vitia ejus sunt occulta, neminique damnum afferunt, absque injuria non potest privari bona fama, quam habet. C. B.

CASUS XXVIII. Filius artificis cujusdam per merita sua consuetudinem ac familiaritatem Primatum sibi conciliavit; & cum proxime a Principe in sublime evehendus esset, in publico ita se gerit, ac si non nosset patrem suum, licet in occulto eum tenerrime diligat, suisque sumptibus liberaliter alat. Potestne hæc agendi ratio erga patrem excusari?

R. Potest; quia hic defectus reverentiæ exterioris non provenit ex defectu teneritudinis filialis, sed solum ex honesto desiderio ampliandi fortunam, cui obicem poneret natiuitas ac origo filii, si nosceretur. Aliunde pater, cui promotio filii cordi esse debet, haud offendi præsumitur, cum satis ipsi constet de affectu ejusdem ex ministratis tam large vitæ subsidiis. Verum conscenso jam honoris gradu filius non amplius adeo peregrinum sese exhibeat patri, aut saltem, si eadem circumspectione in publico adhuc opus esse duxerit, advertat desuper patrem, ejusque sic agendi consensum filiali animo requirat.

Vide *Desiderium Cas. 2. Odium.*

## CHOREÆ.

1. *Choreæ* ex sua natura nec sunt malæ, nec illicitæ; perarum tamen est, ut eas circumstantiæ ordinariæ conjunctæ non reddant peccaminosas. Et hinc prudentiæ est, ut Christianus omnino ab iis abstinat; maxime autem Clericus, a quo modestia ac sanctitas status adhuc potiori jure exigit, ut in hoc sit aliis bono exemplo.

2. Choreæ publicæ, quæ instituuntur diebus Dominicis & Festis solemnioribus v. g. diebus Patrono loci sacris & festis dedicationis Ecclesiæ, adhuc pejoribus sequelis sunt obnoxie. Idem dicendum de Choreis gallicis Nobilium; imo omnes, quæ fiunt cum altero sexu, sunt periculose, ac proin omnibus suæ salutis amantibus summopere vitandæ. Quid tenendum sit de iis, qui in extento fune saltitant, videbitur in responsione ad casum tertium.

CASUS I. Marianna puella valde pia quandoque in conversatione cum aliis ad saltandum trahitur: eo tamen est animo, ut nec minimum peccatum veniale committere velit.

3. Si consideretur saltatio tanquam relaxatio ac oblectatio animi, habeatque adjunctas tres sequentes conditiones, tunc absque omni peccato fieri potest. *Prima* conditio est, ut fiat saltatio cum decentia, modestia, & absque omni scandalo aliorum. *Secunda*: ut fiat tempore debito, videlicet tempore gaudii ac lætitiæ, quale est in nuptiis, aut in communi lætitia populi. *Tertia* conditio est, ut honestas religiose observetur quoad cantum, gestus, locum, tempus, & alias concomitantes circumstantias. Alterutra harum conditionum si desit, Choreæ redduntur vitiosæ & abominabiles. *S. Thomas in cap. 3. Isaie.* Choreæ in semet ipsis spectatæ non sunt prohibitæ; quia & Maria soror Moyfis & Aaronis cum aliis foeminis saltavit ad monstrandam de submersione Ægyptiorum in mari rubro lætitiæ; imo & Davidi zelus religionis videbatur saltare coram arca. Verum cum perrarum sit, choreis omnes præfatas conditiones subesse, ut adeo omne peccatum ac periculum abfuturum sperari possit, SS. Patres miro zelo invehuntur tam in Choreas quam in cultores Chorearum. *Ubi saltus lascivus*, ait S. Chrysostomus, *ibi certe diabolus adest - his tribudiis diabolus saltat.* Hinc & Sapiens monet foeminas saltatrices fugiendas esse, ne earum illicitis inescetur & perdatur anima: *cum saltatrice*, ait, *ne assiduus sis, ne forte pereas in efficacia illius.* Pontas.

NOTA. In Germania circumstantiæ Chorearum tales sunt, ut paucissimæ personæ sint, quæ si sæpius adeunt Choreas, non committant peccatum grave, vel non concurrant ad peccatum grave in complice. Cum ergo in Choreis tantum sit periculum, omnibus sunt dissuadendæ, & si semel earum occasione lapsæ sunt, aut si complici occasio gravis peccati fuerunt, non sunt absolvendæ, nisi in perpetuum, vel certe per annum promittant Choreis abstinere extra solennitates nuptiales, in quibus & ipsis summa cautela adhibenda.

CASUS II. Severianus Parochus cujusdam Oppiduli sciens, Juvenes & puellas suæ Parochiæ diebus Dominicis & Festis completo Officio divino convenire in compitis, publiceque ibi ducere Choreas, ac decantare cantilenas quibus sæpe modestia læditur & pudicitia, aut saltem admodum æquivocas; postquam sæpius ex cathedra in vanum detonaslet contra hanc corruptelam, tandem aliud assumit medium, & absolutionem denegat iis, qui sæpius admoniti ab hujusmodi Choreis non abstinabant, male excipientibus hanc severitatem plerisque parochianis.

3. Parochus, cum teneatur in conscientia totis viribus se opponere consuetudini tam perversæ, bene confugit ad hoc remedium. *S. Thom. 2. 2. q. 122. art. 4. ad 3.* Experientia, pro dolor! luculenter nimis convincit omnes Confessarios, quantum peccetur in hisce occasionibus: aspectus, verba æquivoca, desideria inordinata, cantiones impudicæ, dissolutiones periculose variis peccatis, sæpissime etiam mortalibus implicant eos, qui ejusmodi frequentant conventicula, adeo, ut Patres Concilii Parisiensis anno 1212. dicere non dubitaverint: *Teste Gregorio melius est die Dominica arare vel fodere, quam Choreas ducere.* Plura alia Concilia, S. Carolus, Regesque Christianissimi in ditionibus suis diebus Dominicis ac Festis Choreas prohibuerunt. Unde sequitur, iis, quibus a Deo est potestas tam pro foro externo quam interno, nihil non agendum, ut penitus exterminetur consuetudo paganismum magis quam religionem christianam redolens. O ut Principes omni sua potentia suffulciant pios hac in re conatus Episcoporum ac Parochorum! Pontas.

NOTA. Certe in Dania, ditionibus Regis Borussiae & in Helvetia apud protestantes prohibentur Choreæ diebus Dominicis & Festis. Quantum pudor, eas in seram nostram contra leges Ecclesiæ ac Principum tolerari apud Catholicos, idque propter modicum lucri, propter pugillum hordei!

CASUS III. Ægidius vir in ampla quadam urbe notissimus ob argutias, sætias, variasque corporis agitationes, & ridiculos gestus, quos populo spectanti nonnunquam exhibet, Indulgentias Jubilæi lucraturus ad tribunal poenitentiae accedit, & confitetur, se in extento fune saltitasse, & quandoque ad oblectandos spectatores protulisse verba æquivoca, non tamen aperte honestati adversantia. Confessarius hortatur ipsum, ut renuntiet huic suæ professioni, utpote homine Christiano indignæ, & tam ipsi quam spectatoribus periculose. Ægidius autem reponit, se non habere aliud medium pro su-

stentatione vitæ suæ; hanc insuper professionem non prohiberi a Principe, imo eidem favere sanctiones Magistratum.

β. Rationes Ægidii minime sunt sufficientes; & Confessarius non potest ipsum absolvere, etsi aliunde obstaculum non reperiat. Ægidius peccat graviter; qui se exponit evidenti mortis aut gravis læsionis periculo. Cum ipso mortaliter peccant etiam omnes spectatores, qui offerendo pecuniam funambulorum excitant ad recreandum populum turpibus & liberioribus facetiis, & sic cooperantur non solum ad verba scurrilia, quæ cum sint æquivoca, contingenter non habent apud omnes eundem exitum, sed etiam ad periculum mortis, cui se funambulus exponit. *Tertul. de spectaculis Tit. 25.* Denique quæ dicta sunt de hujusmodi saltatoribus & funambulis, multo magis intelligenda sunt de uxoribus ac puellis eorum, quæ eandem professionem exercent. *Pontas.*

CASUS IV. Fidicen quidam diebus Dominicis & Festis Choreas publicas durante servitio divino suo instrumento animat.

β. Confessarius non potest eum absolvere; imo obligare eum debet, ut hisce diebus sacris operam suam omnino non præstet Choreis quocumque demum tempore. Theologi antiqui hujusmodi choraulam diebus sacris suo ad Choreas instrumento ludentem peccati mortalis reum arguunt. Choreæ, in quibus nihil inhonesti, nihil modestiæ contrarium intervenit, diebus operariis quidem permitti possunt; sed cum raro sint tales, a viris piis & sanctis in genere & universim damnantur. *De Lamet.*

CASUS V. Sacerdos quidam fidibus ludit in domo amici cujusdam: audientes id in vicinia pueri puellæque turmatim accurrunt Choreas ducturi. Sacerdos sive precibus sive muneribus eorum motus pergit ludere per integram noctem. Peccavitne mortaliter?

β. Peccavit mortaliter; licet enim peccaminosum non sit in domo amici instrumentum musicum animare, non videtur tamen, quomodo a peccato gravi excusari possit sacerdos, qui sono hoc musico pueros puellasque ad Choreas animare intendit. Si Clericis sub pœnis gravissimis prohibetur vel interesse Choreis, prout id prohibet Concilium Tridentinum *Sess. 21. c. 1.* quanto magis prohiberi censendum est interesse tali modo, ludendo scilicet in instrumento musico. Nemo autem dicat, sacerdotem ex eo posse excusari, quod præter expectationem ejus accurrerint pueri ac puellæ Choreas duccendi causa; nam supposito etiam, quod insperato id accide-

rit,

rit, instrumentum abiicere debuisset, quamprimum pedes eorum in saltus cieri advertisset. C. B.

## CIRCUMSTANTIA.

1. *Circumstantia* juxta Theologos est *actus humani moralis accidens, ipsum moraliter afficiens*; hinc actui, quem comitatur, est tantum extrinseca, eumque minus aut magis bonum, minus aut magis malum reddit. Septem enumerantur circumstantiæ, quæ actum humanum concomitari possunt, hocque vericulo comprehenduntur:

*Quis, Quid, ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.* Vox prima qualitatem agentis designat; altera qualitatem aut quantitatem accidentalem objecti; tertia qualitatem loci, in quo actus ponitur; quarta media & instrumenta ad actum adhibita; quinta finem extrinsecum, quem agens sibi proponit; sexta modum, quo actus perficitur; & septima rationem temporis.

2. Inter circumstantias aliæ sunt mutantes speciem peccati, addendo nimirum actui malitiam distinctam ab ea, quæ ipsi est essentialiter annexa: & aliæ non quidem mutantes speciem, notabiliter tamen aggravantes malitiam actus: aliæ denuo sunt, quæ augendo malitiam augent etiam numerum peccati, multiplicando scilicet transgressiones in unico eodemque actu: aliæ denique sunt, quæ diminuunt malitiam peccati. Quænam circumstantiæ in confessione exprimi debeant, aut quæ omitti possunt, infra in) Titulo *Confessio* videri poterit.

Vide *Absolutio. Confessio.*

## CLANDESTINITAS.

Vide *Impedimentum Claustralitatis.*

## CLAUSURA MONASTERIORUM.

CASUS I. Potestne dispensari cum Monialibus circa Clausuram? Num Superior potest permittere ingressum in earum monasteria? An etiam fœminis sæcularibus non licet ingredi monasteria Monialium? An non per consuetudinem præscribi potest contra observantiam Clausuræ? Num Moniales transgrediuntur legem Clausuræ, si exeant in hortos aliaque septa contigua monasterio?

R 5

β. Quo-

3. Quoad Clausuram Monialium servandæ sunt Constitutiones Ecclesiæ. Ingressus in monasteria Monialium nemini permittendus est extra casum veræ & urgentis necessitatis. Nemo cujuscumque demum conditionis quoad hoc exemptus est a lege Ecclesiæ, exceptis Regina & Principissis Regio sanguine ortis. Neque unquam contra hanc Ecclesiæ legem præscribi potest. Horti aliæque septa contigua Monasterio non clausa muro censentur esse extra claustra; & hinc Moniales non possunt exire in ea, quin Clausuram violent. *De Lamet.*

CASUS II. Paries claustralis cujusdam monasterii Monialium per aliquot pedes corruit. Estne sublata Clausura? An coram Deo excusantur, qui bona fide intra Claustra hac via ingressi sunt? An Sacerdotes eo ingredientibus, eoquod non putaverint, Vicarium Generalem hunc ingressum casibus reservatis accensuisse, irregularitatem incurrerunt, si celebrant, antequam ab eo fuerint absoluti? num hæc irregularitas, supposito quod existat, Papæ reservata est? Quid agendum Confessariis cum iis, qui persuaderi non possunt, exinde se excommunicationem incurrisse?

3. Clausura vere rupta est. Bona fides ab excommunicatione immunes reddit eos, qui in hoc monasterium ingressi sunt. Cum excommunicatio hic locum non habeat, præfati Sacerdotes non incurrerunt irregularitatem; si autem in hoc casu existeret irregularitas, ea reservata foret Papæ. Bonus ordo exigit, ut Confessarii in hoc se conforment prohibitioni factæ a Vicario Generali. *Fromageau.*

CASUS III. Murus claustralis monasterii Capucinatorum magna ex parte concidit; & Matronæ quædam sepimentum interea obductum perfringentes intra Claustra ingressæ sunt, ac totum perlustrarunt Conventum. An excommunicationem incurrerunt? An etiam Religiosi eas introducentes in interiora Monasterii in censuras delapsi sunt?

3. Matronæ istæ non incurrerunt excommunicationem ipso facto: pœna enim excommunicationis per generales Ecclesiæ leges fertur tantum in ingredientibus monasteria mulierum; prohibitio autem, ne foeminae ingredientur monasteria virorum, est solum particularis, facta per Bullas, quæ a potiori non sunt receptæ in Gallia; & aliunde Matronæ istæ potuerunt habere bonam fidem, credentes Clausuram non amplius subsistere: notandum tamen, quod, si Episcopus eas excommunicasset, tenerentur se submittere censuræ. Neque memorati Religiosi Censuram incurrerunt, nisi talis in hoc casu

casu lata esset per Statutum particulare Ordinis: nihilominus mererentur puniri a suis Superioribus. *Fromageau.*

NOTA. peccarunt tamen graviter tam foeminae, quam religiosi agendo contra mentem notoriam Ecclesiæ urgentis graviter.

CASUS IV. Tenentur Episcopi in conscientia stabilire & restaurare Clausuram in Monasteriis Monialium?

3. Tenentur, ita, ut nulli Monialium liceat egredi absque gravi ratione approbata ab Episcopo; nullique alteri liceat ingredi intra Claustra Monialium absque licentia in scripto obtenta a Superiore earum, qui eam dare non potest, nisi vera urgeat necessitas. *De Lamet.*

Vide *Moniales.*

## CLERICUS.

1. Dantur diversi Ordines, qui Ecclesiastici seu Clericales dicuntur, uti sunt, *Ostiarius, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus, Sub-Diaconatus, Diaconatus, Presbyteratus, & Episcopatus.* Quatuor posteriores sunt Ordines sacri; his initiati possunt contingere vasa sacra, tenenturque ad perpetuam continentiam servandam, ac ad recitandum Breviarium.

2. Conditiones seu qualitates requisitæ ad statum Clericalem sunt, *vocatio Divina, zelus purus Divinæ gloriæ, & salutis Proximi, alienatio sui a mundo, animus desinteressatus intuitu bonorum terrenorum, charitas sincera, scientia & capacitas sufficiens.*

3. Dispositiones vero seu talenta necessaria ad ministerium Ecclesiæ sunt, prudentia, & fortitudo Christiana, patientia, castitas, amor studii & laboris, spiritus recollectionis, humilitas & affectio ad orationem. Sub pluribus titulis actum est de iis, quæ Clericos concernunt.

CASUS I. Lambertus constitutus in Ordinibus, vel solummodo tonsuratus habitum desert Clericalem. Potestne absque peccato exercere commercium aut negotiationem?

3. Non potest absque peccato. *Nemo militans Deo, ait Apostolus, implicat se negotiis secularibus.* Multo magis, juxta S. Thomam, Clerici non solum debent abstinere ab his, quæ sunt secundum se mala, sed etiam ab his, quæ habent speciem mali. Licet autem negotiatio non sit mala ex sua natura, frequenter tamen fit, ut exercentes eam in varia prolabantur vitiorum genera, v. g. mendaciorum, fraudum &c. Cum doctrina Angelici concordant sacri Canones &

& Patres. Addit tamen S. Doctor hanc exceptionem : *licet tamen Clericis uti prima commutationis specie , quæ ordinatur ad necessitatem vitæ , emendo vel vendendo. Pontas.*

NOTA. Non decet allegare Doctores , ubi reperiuntur vetustissimi & recentissimi Canones Ecclesiæ , quos nuper renovavit SS. D. N. Clemens XIV. in Bulla : *Cum primum.* 17. Sept. 1759.

CASUS II. Leontius , Presbyter , decem annis fuit Præceptor filii cujusdam Viri nobilis , qui eum postea apud se retinuit rerum suarum temporalium administratorem , quo munere quadraginta fungitur annis.

3. Nulla ratione excusari potest a renunciatione profani hujus officii ; id quod dignitas status sacerdotalis absolute exigit. Gratus benefactori animus non per indigna ejusmodi obsequia , sed per preces & sacrificia exhibendus. Canon 6. ex iis , qui Apostolorum dicuntur , ait : *Episcopus vel Presbyter vel Diaconus seculares curas non suspiciat ; alioquin deponatur.* Id ipsum Clericis interdicitur Canones Conciliorum , leges Imperatorum , constitutiones plurium illustrium Episcoporum , edicta Parliamentorum &c. *Pontas.*

CASUS III. Heraclius , Clericus tonsuratus , Prioratu simplici præditus , constituitur in judicem cujusdam vici a loci Domino.

3. Tuta conscientia non potest fungi hoc officio , retento simul Beneficio. Concilia generale tertium Lateranense & Tridentinum id expresse prohibent ; tum quia ejusmodi munus juxta allegatam supra doctrinam Apostoli est indignum Clerico ; tum quia interdum evenire posset , ut Clericus Judex necessario ferre deberet sententiam in causa sanguinis. Nihilominus possibile foret , ut ejusmodi potestas judiciaria in Clerico vergat in bonum Ecclesiæ , ut ex sequentibus patebit. *Pontas.*

NOTA. Ubi viget consuetudo immemorialis , in locis pauperibus , quæ non valent sustentare Judicem , & ab alio Dicasterio valde distitis , non repugnat intentioni Ecclesiæ , si Parochus patiatur sibi delegari quædam officia Judicis , præsertim pia v. g. functionem arbitri.

CASUS IV. Gilbertus , Presbyter & Beneficiatus cujusdam Ecclesiæ Parisiensis emit munus Consilarii Ecclesiastici in Parlamento , & illo fungitur per multos annos.

3. Non videtur obligari posse ad dimittendum hoc officium. Ratio est 1. quia hæc est consuetudo universalis regni. 2. Quia desuper dispensatum fuit a Pontificibus ad instantiam Regum. 3. Quia id cedit in bonum commune Ecclesiæ , dum scilicet

scilicet agitur de causis civilibus personarum ecclesiasticarum , de possessorio circa res spirituales , de causis annexis rei spirituali , de appellationibus circa abusum , & de causis Regaliæ. Observandum autem in hac re 1. quod Clerici consilarii omnium supremarum Curiarum gaudeant eadem prærogativa , qua gaudent consilarii Clerici Parlamenti Parisiensis. 2. A consilariis Canonicis sumendam esse possessionem personalem , non per procuratorem. 3. Consilarios Clericos non obligari ad residentiam unius anni , sicut reliquos Canonicos. 4. Eos tamen obligari ad residentiam eo tempore , quo vacant Parlamenta , sub pœna amittendi fructus grossos. 5. Non convenire inter auctores , an Clerici consilarii præsidiales lucrerent fructus grossos suarum præbendarum absque residentia. *Pontas.*

CASUS V. Hermanus simplex Clericus tonsuratus & Prior ad S. Salvatorem obit munus Advocati , quod ante obtentum Beneficium jam obierat.

3. Absque peccato non potest ulterius agere Advocatum ; imo sunt , qui peccati mortalis reum existimant , si advocatiæ non renunciet. Eadem rationes militent in Clerico contra professionem advocatiæ , quæ contra ministerium Judicis. Concilium provinciale Mediolanense de anno 1565. hac super re sequentes præscribit regulas. *Edicimus , inquit , ne Clericus Sacris initiatus , aut Beneficio Ecclesiastico præditus , coram Judice seculari Advocati aut Procuratoris nomine causas agat , nisi ab aliis in Judicium vocatus . suam vel Ecclesiæ suæ , propinquorum etiam si necesse erit , & miserabilium personarum causas , ab Episcopo facultate prius scripto concessa tueatur.* *Pontas.*

CASUS VI. Julianus Presbyter quandoque cauponam addit , se suis cum amicis relaxandi causa , præterdicens , nullum extare decretum Diœcesanum id prohibens ; nec a se nec a sociis suis ullum unquam committi excessum.

3. Ob solam justam necessitatem excusari potest a peccato : licet enim fors Episcopus id non prohibuerit , satis est , id prohibitum esse ab Ecclesia. Integrum volumen vix caperet omnes constitutiones a Conciliis generalibus ac provincialibus editas contra Clericos absque evidenti necessitate hospitia frequentantes. *Pontas.*

CASUS VII. Edmundus , Parochus , quocumque eques peregre iter instituit , semper secum habet sclopos minores laterales.

ꝑ. Regulariter loquendo non potest ullum armorum genus secum deferre nisi de expressa permissione sui Episcopi ob justam necessitatem obtenta. *Concil. Mediol. 1. part. 2. tit. de armis &c. Pontas.*

CASUS VIII. Quirinus, Presbyter, defuncto suo Patre induit vestem lugubrem.

ꝑ. Si tali veste valde simplici induitur, & habitum quoque Clericalem retinet, nullum committit peccatum, præcipue in Gallia, ubi talis mos viget, licet id prohibeatur in exteris quibusdam Diocæsisibus. *Pontas.*

CASUS IX. Mathurinus vir doctus & pius suscipiens Presbyteratum secum statuit, nunquam excipere confessiones.

ꝑ. Si Episcopus jubeat, aut natura Beneficii id exposcat, non potest in conscientia sese eximere ab obligatione audiendi confitentis. Neutrum horum si fiat, absque peccato potest abstinere ab exceptione confessionum, excepto tamen casu urgentis necessitatis. *S. Thom. in 4. dist. 13. q. 1. art. 2. q. 1. ad 2. Pontas.*

CASUS X. Teneturne Clericus deponere testimonium contra criminofum?

ꝑ. In Gallia Clericus juridice interrogatus de crimine morte plectendo, si commissi criminis testis oculatus est, tenetur deponere testimonium, facta prius protestatione, quod hoc non nisi a justitia coactus, & non ad inferendam reo mortem vel pœnam corporis deponere intendat. *De Lamet.*

CASUS XI. Si Clericus instruit puellas, incurritne aliquam pœnam?

ꝑ. Est excommunicatus, si existet Decretum Episcopi id sub tali censura ipso facto incurrenda prohibens. In hoc casu impossibile est, eum agere ex ignorantia. *De Lamet.*

CASUS XII. Quales sunt regulæ, servandæ a Clericis utentibus crinibus fictitiis?

ꝑ. Non utantur crinibus fictitiis, oblongis, crispatis & pulvere cyprio aspersis, ut laici, neque in Ecclesia, neque in urbe. Corona e pergamento aut alia simili materia confecta, quæ colorem imitatur carneum, affixa dictis crinibus non accipienda pro corona Clericali, quæ fit ex refectione capillorum, quam saltem videri oportet. Recurrendum ad Episcopum qui super hoc regulas statuatur. Denique generaliter loquendo Beneficiatus, vel ordinibus initiatus non potest licite uti crinibus fictitiis sine necessitate, & hi crines compositi

positi sint ad modestiam, aut juxta Ecclesiæ præscriptum. *De Lamet.*

NOTA. De hoc genere crinium fictitiorum legendus Thiers de *Barucis*, & Braschius in promptuario Synodali C. 97. Apostolus 1. Tim. 2. ne quidem mulieres, quibus habitum ornatum præscribit, tortis crinibus comparere permittit: An nunc Clericis, exemplaribus gregis Dominici, Amasiorum aut Ephebulorum more, tortis & pulvere cyprio conspersis crinibus, prædicare contemptum mundi præciperet?

CASUS XIII. Quomodo procedendum cum Clericis, qui foeminas suspectas frequentant?

ꝑ. Episcopus sciens dari tales in sua Diocæsi Clericos, decreto generali prohibere debet talem frequentationem, & per suum Officiale condemnare eos, qui decreto morem gerere detestant. Si quis vero eorum convictus esset de inhonesto commercio cum foemina, quam frequentabat, antequam ea fuit maritata, severius emanare decretum faciat, & per hoc facile talem frequentationem inhibere poterit. Si aliqua mulier e domo frequentata faceret quasi lupanar, & ipsa fieret prostibulum, Episcopus posset Procuratori Regio committere, ut contra maritum & ejus uxorem agat: Et si quis Presbyter convictus esset istam frequentasse domum, Officialis illum puniendi juxta canonum rigorem jus habeat: & si Presbyter appellaret, Parlamentum eum condemnaret ut reum. *De Lamet.*

CASUS XIV. Clericus quidam a Matre & Sorore sua oportune importune incitatus, ut larvatus compareat ad choreas tempore Bacchanaliorum in domo admodum honesta infirmitas, tandem consentit, & comparet.

ꝑ. Presbyter iste potest excusari a peccato gravi; nam cum eo se tantum contulerit, ne stomachum moveat matri & forori vehementer ad id sollicitantibus, & ad hæc choreæ institutæ fuerint in domo admodum honesta, dici non potest, quod exinde aut aliis scandalum præbuerit, aut se in periculum peccati immiserit. Hinc non peccavit contra decentiam status sui; licet culpari possit in eo, quod plus æquo dederit carni & sanguini. C. B.

NOTA. Non tamen potest excusari a veniali graviore: imo nec a mortali, si actum verteret in consuetudinem.

CASUS XV. Parochus quidam serio increpat Clericum quemdam sua in Parochia commorantem, eoquod, licet sæpius invitatus, constanter tamen recuset assistere processionibus singulis mensibus haberi solitis.

ꝑ. Justa est hæc increpatio ; quia Clericus ratione status sui tenetur laicis præbere exemplum ædificationis, omnemque scandali aut sinistrae opinionis ansam remove. Quale autem scandalum est, si Clericus pertinaciter renuat assistere processionibus, quibus tamen assistere plerique laici maxime in Parochiis ruralibus ex devotione obligatos se credunt? C. B.

### COEMETERIUM.

*Cœmeterium* est locus sacer sepeliendis fidelium defunctorum corporibus destinatus ; qui ab Episcopo benedici, & si polluatur, iterum reconciliari debet. Si Ecclesia fiat polluta, etiam contiguum ipsi Cœmeterium tanquam accessorium pollutum esse censendum est ; nec in eo quisquam inhumanus est, donec fuerit reconciliatum : Sed ex pollutione Cœmeterii non fit polluta Ecclesia.

CASUS I. Almachius præmeditato consilio occisus est in Ecclesia, quæ exinde polluta fuit. Sed Parochus hoc non obstante sepelivit occisum in Cœmeterio, antequam Ecclesia fuerat reconciliata.

ꝑ. Si Cœmeterium adjacet Ecclesiæ, Parochus non potuit absque gravi peccato in eo sepelire corpus Almachii. *Pontas.*

CASUS II. Agatho proditoriè fuit occisus in Cœmeterio Ecclesiæ contiguo ; & Parochus eum sepelivit in ipsa Ecclesia.

ꝑ. Cum Ecclesia in hoc casu profanata non sit, absque peccato in ea sepeliri potuit. *Pontas.*

CASUS III. In Parochia quadam dantur duo Cœmeteria contigua, quæ sunt ab invicem separata tantum parvo muro altitudinis quatuor, circiter pedum, in quo datur porta, per quam ab uno Cœmeterio perveniri possit in alterum. Unum horum per homicidium ibi patratum fuit pollutum.

ꝑ. Uno polluto non censetur etiam alterum pollutum. *Pontas.*

Vide *Sepultura* Cas. 2.

### COGITATIO.

I. Vox hæc, *Cogitatio*, interdum sumitur pro sententia, opinione, vel proposito, quod animo conceptum est, vel pro reflexione in mente facta. Hic autem sumitur ad significandum actum mentis cogitantis, vel id am rei imaginationem subeuntis.

2. Omnis

2. Omnis Cogitatio vel bona vel mala est juxta qualitatem sui objecti, finis, effectus vel circumstantiæ ; at vero, quantumcumque mala sit, peccaminosa tamen nunquam erit, si non accedat actus aliquis voluntatis. Morositas autem, quæ est instar tacitæ voluntatis, sufficit ad hoc, ut Cogitatio fiat magis vel minus peccaminosa, pro varia nempe natura subjecti, vel prout consensus in captam exinde delectationem fuerit magis minusve perfectus. Consequenter etiam negligentia major vel minor in resistendo erit plus vel minus peccaminosa.

CASUS I. Renata interdum voluntarie & cum delectatione immoratur cogitationibus impuris, quin tamen ullum habeat desiderium committendi peccatum, quod Cogitationi obversatur ; imo mori potius vellet, quam illud perpetrare. Estne peccati mortalis rea ob solam delectationem exinde conceptam ?

ꝑ. Non est dubium, quin mortaliter peccaverit Renata : *perversa enim Cogitationes separant a Deo Sap. 1. 3. Et Abominatio Domini Cogitationes malæ Prov. 15. 26.* Consentunt in hoc SS. Augustinus, Gregorius & Thomas. Complacencia aut delectatio ex ejusmodi Cogitationibus percepta est ejusdem generis cum ipso actu earundem objecto. *Quidam dixerunt, ait S. Thomas qq. disp. de verit. q. 15. art. 4. quod non est peccatum mortale, sed veniale ; quæ quidem opinio Augustino adversari videtur, qui ex tali consensu damnationem homini comminatur. . . . . Isti opinioni contradicit communis opinio modernorum, & videtur in periculum animarum vergere ; cum ex consensu in talem delectationem homo in peccatum promptissime incidere possit. Unde alteri opinioni magis videtur assentiendum, quæ ponit, talem consensum esse peccatum mortale.* Ut discernatur, an vere quis assensum præbuerit hujusmodi Cogitationibus, tres motus concupiscentiæ distinguendi sunt ; primus totaliter prævenit voluntatem, & consequenter non est liber ; secundus non est ex integro liber, quia voluntas resistit, cum vero non resistat satis efficaciter, censetur consentire imperfecte ; tertius est perfecte liber, quia voluntas in ipsum fertur deliberate absque necessitate, imo affectuose etiam. Primus horum motuum non est peccatum ; secundus est peccatum veniale tantum ; tertius vero est certissime peccatum mortale. Videatur *Philothæa* seu *Introductio ad vitam devotam S. Francisci Sales. Pontas.*

NOTA. Natura Cogitationis obscœ non bene describitur ab Authore, dum asserit, Cogitationem esse ejusdem generis, cujus est ob-

*Dist. Cas. Consc. Tom. I.*

S

jectum:

jectum : si enim juvenis vel puella sibi vivaciter cum omnibus circumstantiis repræsentet variarum personarum conjugatarum actus conjugales, objectum erit licitum, & tamen cogitatio erit obscœna. Dicendum ergo, Cogitationem obscœnam esse illam, quæ disponit aut fovet naturæ corruptæ inclinationem ad actus obscœnos. Si circa objectum de se licitum illa dispositio creat periculum grave, peccatum est mortale; alias est veniale.

**CASUS II.** Magdalena sæpius in mente agitur Cogitationibus obscœnis, simulque in corpore suo experitur motus inordinatos absque propria cooperatione excitatos; nunquam ad prava desideria induci se patitur, nec delectationi sensibili exinde ortæ inhæret. Interea tamen advertens pravitatem harum Cogitationum, eas repellere negligit, ne continua hac lucta nimis animum torqueat ac fatiget. Peccatne taliter se habendo?

*R.* Certe Peccat per hanc solam morositatem, quæ est species complacentiæ obtans, quo minus pravam Cogitationem ac propensionem ad malum simul ac semel animo efficit. *S. Thom. 1. 2. q. 74. art. 6. C.* Adde, non solum peccaminosam esse omnem occupationem circa rem castitati adversantem, saltem nisi justa eo se applicandi necessitas urgeat; ut contingere potest in medico aut confessario necessariam sibi hac de re notitiam comparandi causa; verum etiam ejusmodi occupationem evidenti exponere periculo a Cogitatione transeundi ad desideria, aut saltem subortæ exinde delectationi consentiendi. *Pontas.*

*NOTA.* Quando Cogitatio & delectatio versatur circa objectum hic & nunc graviter prohibitum, tanquam intentionaliter præfens, peccatum morosæ delectationis semper est mortale; quia gravis malitia est sponte fovere & augere corruptionem naturæ, seu propensionem in malum.

Vide *Confessio* Cas. 52. *Delectatio. Peccatum.*

## COLLATIO.

Vide *Jejunium* Cas. 17. & seq.

## COLLATIO BENEFICII.

**I.** Collatio Beneficii est gratuita beneficii vacantis assignatio, ab habente potestatem idoneo Clerico legitime facta. Duplex distinguitur Collatio; una libera & voluntaria, altera necessaria: libera est, quæ unice dependet a Collatore, qui Beneficium conferre potest, cui voluerit: necessaria est, quam

quam Collator tenetur petenti Beneficium concedere, ut si id petat Indultarius, Graduatus, aut a Patrono præsentatus.

**2.** Collatio Beneficii valide fieri potest extra territorium Collatoris; quia est actus jurisdictionis voluntariæ, seu gratiosæ.

**3.** Judex sæcularis cogere non potest Collatorem, ut conferat Beneficium invitus; sed Clericum, qui ejus opem quaerit, remittere debet ad Superiorem Ecclesiasticum Collatoris.

**CASUS I.** Parochiam ad S. Calixtum per mortem vacantem Episcopus pleno jure contulit Vincentio, non expectata præsentatione Patroni laici. Estne Collatio nulla?

*R.* Non est *ipso jure* nulla; sed provisio obtenta annullari potest per sententiam judicis ad instantiam Patroni. Si Patronus provisioni se non opponat intra tempus a jure concessum, quod est sex mensium pro Patronis ecclesiasticis, & quatuor mensium pro Patronis laicis, provisio irrevocabiliter subsistit a die emanationis, nec opus est, ut Episcopus in Collatione exprimat, quod conferat Beneficium, eoquod Patronus præsentare neglexerit. *Pontas.*

**CASUS II.** Episcopus quidam pleno jure contulit Parochiam aliquam, cujus nominatio pertinuit ad alium Patronum. Hic sciens, quid contigisset, nominat alium, qui ab Episcopo non admissus institutus est a Metropolitanano, & obtenta provisione Parochiæ possessionem adiit. Notandum autem est, quod Episcopus bis jam hanc Parochiam contulerit, Patrono nec reclamante, nec alium nominante: ex quo sibi jus acquisitum arbitratur independentem a Patrono conferendi hanc Parochiam, & consequenter a se nominatum legitimum esse Parochum.

*R.* Collatio Episcopi est nulla; quia ad præscriptionem hujusmodi juris in Gallia duo requiruntur, nimirum possessio quadraginta annorum, & quidem firmatum ad tres præsentationes, ita ut unum sine altero non sufficiat. Ita judicatum in Senatu majori.

**CASUS III.** Parochia ad S. Macarium, in qua jus Patronatus habet Abbas ad S. Gordianum, vacat; sede autem Abbatiali per mortem Abbatis pariter vacante Episcopus Diocesanus Parochiam pleno jure confert Ludovico, qui etiam possessionem ejusdem adiit. Post tres menses noviter electus Abbas ad eam nominat Marcellum, qui provisionem suam a Metropolitanano obtinuit.



R. Ludovicus est legitimus Parochus, utpote canonice provifus ab Epifcopo, Marcelloque nullum ad Parochiam jus competit: dum enim fedes Abbatialis vacat, omnes Ecclefie parochiales, ad quas præfentandi jus penes Abbatem est, jure Patronatus quali dormitante, ab Epifcopo conferri poffunt jure ordinario. *Pontas.*

NOTA. De jure communi extra Galliam Marcellus est legitimus Parochus.

CASUS IV. Ferrandus Epifcopus videns, Suffraganeum fuum jam per plures menses non providiffe cuidam Parochie finitimæ fuæ Diocefi, eam alicui contulit nondum aquifito jure devolutionis, quod autem poftea aquifivit per neglectum Suffraganei. Interea provifus de Parochia manet pacificus poffeffor ejusdem, & fuit oretenus confirmatus ab Archiepifcopo.

R. Data provifio est nulla *ipfo jure*, & Collatio facta ab Archiepifcopo, antequam jus conferendi ad ipfum devolutum fuit, non potest fieri valida per supervenientem devolutionem; imo nec valida fieret poft supervenientem devolutionem, nifi reiteretur Collatio, & in actu Collationis exprimitur, quod Metropolitanus conferat jure devolutionis. *Pontas.*

CASUS V. Elia Abbate ac unico Patrono Parochie cujusdam excommunicato denunciato, Epifcopus Diocefanus pleno jure contulit hanc Parochiam.

R. Collatio est valida & Canonica, nifi Elias jam ante excommunicationem fuam alteri dederit commiffionem nominandi ad Parochiam, aut nifi actu laboret pro obtinenda abfolutione. *Pontas.*

NOTA. Pontafius proin cenfet, excommunicatum eo momento, quo ceffat esse pertinax, folvi vinculo inhabilitatis ad præfentandum.

CASUS VI. Maurillus audita morte cujusdam Parochi obtinuit in Curia Romana Parochiam defuncti. Siftit se Epifcopo pro obtinenda confirmatione (*Vifa*); a quo autem, cum vix latine loqui sciens ineptiffime in examine responderet, repulfus est, & Parochia collata alteri.

R. Non obftante præventionem ac provifione Pontificia Epifcopus valide potuit conferre hanc Parochiam; ficque ab Epifcopo provifus, non tenetur in confcientia provifionem petere a Papa. Observandum tamen, quod Papa quandoque faciat provifionem *in forma gratiofa*, fed non nifi habito prius testimonio ab Epifcopo de Oratoris vita ac moribus; &

& in hoc casu provifus potest capere poffeffionem Beneficii, quin teneatur de novo se fiftere Epifcopo, fi Beneficium non fit curatum, *Pontas.*

CASUS VII. Malchus Presbyter profectus est in Germaniam: & interea Epifcopus quidam Gallie confert abfenti Præbendam in fua Cathedrali, assignatis ipfi duobus mēfibus, intra quos se determinaret, an eam acceptare vellet, nec ne. Malcho differente fuam declarationem ultra hoc spatium, Epifcopus confert Præbendam alteri, qui etiam poffeffionem ejusdem adiit. Malchus paulo poft redux declarat, se acceptaturum Præbendam, ejusque poffeffionem capere vult; opponente tamen se altero, & nolente cedere Beneficium.

R. Jure se opponit, cum canonice provifus fuerit Beneficio, ad quod Malchus nullum amplius jus habet, fibique ipfi imputet illius jacturam. Si tamen Collatio nondum facta effet alteri, valeret acceptatio Malchi etiam poft lapsum termini. *Pontas.*

CASUS VIII. Bertrandus Epifcopus contulit Præbendam in fua Cathedrali Acolytho cuidam verfanti in studiis extra Diocefin, Cum provifio una cum literis monitoriis de facta Collatione jam effet expedita, ut ipfi mitterentur, Eleemofynarius Epifcopi, qui illi jam per decem annos gratis fervierat, pro se ipfo hanc Præbendam petiit, nec ea denegari poterat fine nota ingratitude. Itaque fuppreffa provifione Acolythi scripta est alia in favorem Eleemofynarii.

R. Epifcopus peccat contra leges Ecclefiafticas; provifioque hujus Eleemofynarii non est Canonica. *Pontas.*

NOTA. Hæc refponfo non placet; legibus enim prudentie conformius videtur, fi Epifcopus poffit fupprimere provifiones folum fignatas, & quidem infcio eo, quem respiciebant, & mediocriter digno ac capaci, quem primo nominaverat, fubftituere digniorem ac magis idoneum. Aliud dicendum foret, fi provifiones nominato jam fuiffent transmiſſæ.

CASUS IX. Parmenianus Prior factus est hæreticus notorius; & hinc Collator hujus Prioratus eundem contulit alteri.

R. Collatio ifta est valida. Nihilominus Callatarius non poterit fumere poffeffionem Beneficii, nifi crimen hærefis contra priorem poffefforem fuerit declaratum judiciali fententia: alias enim poffet contingere, innocentem exturbari e poffeffione fui Beneficii. *Pontas.*

CASUS X. Apollodorus ligatus excommunicatione minore acceptat Prioratum fibi collatum a Capitulo cujusdam Ecclefie Cathedralis,